

autem actus voluntatis est secundum Augustinum; sed non absolute secundum quod voluntas est finis, sed secundum quod præsупponit collationem rationis ordinantis ad alterum: & ideo in voluntate hoc modo accepta, est iustitia sicut in subiecto. In voluntate enim, secundum quod est finis, non potest esse aliqua virtus moralis, quia ad bonum civile, & naturale hominis, voluntas naturalem inclinationem habet sicut in proprium subiectum; sed secundum quod voluntas est eorum quæ sunt ordinata ad finem, sic in voluntate potest esse moralis virtus, scilicet iustitia, sicut & prudentia in ratione cognitiva. Hoc autem quod dictum est de subiecto iustitiæ, consonat omnibus quæ dicuntur ab aliis de subiecto iustitiæ. Quidam enim dicunt eam esse in ratione: quod non potest esse, secundum quod ratio est cognitiva potentia, sed secundum quod ratio comprehendit & cognitionem, & affectionem, secundum quod dicitur, quod voluntas in ratione est. Alii vero dicunt, quod est in tota anima: quod quidem verificatur inquantum voluntas est universalis motor omnium virtutum animæ: unde etiam Commentator in V. Ethic. cap. ult. dicit, quod est in rationali, & concupiscibili. Et similis ratio est de omnibus virtutibus quæ non sunt circa passiones, sed circa operationes, sicut liberalitas, magnificentia, & huiusmodi.

Ad primum igitur dicendum, quod rationale per participationem non solum dicitur irascibilis, & concupiscibilis, sed universaliter appetitus, ut ibidem dicit: & ideo voluntas quamvis per essentiam sit in parte intellectiva, tamen quantum ad actum (4) aliquam rationem participat, & præcipue secundum quod est eorum quæ sunt ad finem, in quæ intendit secundum quod a ratione præordinata sunt: & ideo potest esse subiectum virtutis moralis.

Ad secundum dicendum, quod rationale comprehendit non solum rationem cognitivam, sed etiam voluntatem; & sic iustitia est in rationali sicut in subiecto.

Ad tertium dicendum, quod quamvis voluntas æqualiter habeat imperium super omnes materias, & actus virtutum; tamen materia quarundam virtutum, sicut passiones, pertinent etiam ad alias potentias immediatas: & ideo virtutes quæ sunt principaliter circa passiones, sunt in illis potentiis sicut in subiecto. Sed materia quarundam virtutum non pertinent ad aliam potentiam nisi ad voluntatem: & ideo virtutes quæ sunt circa illas materias, sunt in voluntate sicut in subiecto.

Ad quartum dicendum, quod materia aliarum virtutum possunt esse materia iustitiæ non secundum quod passionem inferunt, sed secundum quod veniunt in usum operationis ad alterum.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod prudentia est in ratione cognitiva practica sicut in subiecto. Sed sciendum, quod sicut in voluntate non potest esse virtus moralis ex parte illa qua est finis propter naturalem inclinationem, ita etiam nec in ratione ex parte illa qua est de fine, quia finis est principium in operativis. Unde sicut in ratione speculativa sunt innata principia demonstrationum, ita in ratione practica sunt innati fines connaturales homini; unde circa illa non est habitus acquisitus, aut infusus, sed

(4) Al. æqualiter. (5) Al. etiam.

naturalis, sicut synderesis, loco cuius Philosophus in VI. Ethic. cap. 111. ponit intellectum in operativis. Relinquitur igitur quod prudentia sit in ratione practica secundum quod negotiatur de illis quæ sunt ad finem. Sed quia naturalis inclinatio ad finem aliquem est ex præstistente naturam, qui talem ordinem naturæ tribuit; ideo naturalis inclinatio voluntatis ad finem non est ex ratione, nisi forte secundum naturalem concomitantiam, qua fit ut appetitus rationi conjunctus naturaliter tendat ad conformandum se rationi sicut regulæ: & ex hoc est quod voluntas est naturaliter inclinata ad finem, qui naturaliter rationi est inditus. Unde cum negotiatio de his quæ sunt ad finem, præsupponat naturalem cognitionem finis, quæ sequitur naturalem inclinationem voluntatis in finem; oportet quod habitus perficiens rationem negotiantem de his quæ sunt ad finem, præsupponat inclinationem appetitus ad finem: quæ quidem inclinatio in appetitu superiori, scilicet voluntate, est naturalis; in appetitu autem inferiori est ex assuetudine, vel ex Dei dono quantum ad sui complementum; sed aliqua ejus inchoatio etiam est à natura, inquantum est naturaliter obaudibilis rationi. In hoc igitur differt prudens à continente: quia continens habet perfectam rationem de his quæ sunt ad finem, præsupposita tamen naturali inclinatione voluntatis ad finem; prudens (5) autem præsupposita inclinatione quæ est ex virtute acquisita, vel infusa in potentiis inferioribus: & ideo prudentia, ut dicit Philosophus VI. Ethic. cap. xvi. habet sua principia in aliis virtutibus moralibus.

Ad primum igitur dicendum, quod ratio etiam præcipit mediante voluntate, inquantum sententiat aliquid esse faciendum.

Ad secundum dicendum, quod eligere est actus prudentiæ quantum ad id quod est de cognitione in electione.

Ad tertium dicendum, quod hoc convenit prudentiæ, inquantum præsupponit inclinationem voluntatis, & inferiorum virium.

## ARTICULUS V.

Utrum aliæ virtutes cardinales reducuntur ad prudentiam sicut ad principialem, vel causam.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliæ virtutes cardinales non reducuntur ad prudentiam sicut ad principialem, & causam. Scire enim, ut dicit Philosophus in II. Ethic. cap. iv. parum, aut nihil facit ad virtutem. Sed prudentia quædam scientia est, ut in iv. Topic. cap. 11. dicitur. Ergo ipsa minimum habet de ratione virtutis.

2. Præterea. Per virtutes morales sanantur animæ passiones. Sed ad hoc quod aliquis corporaliter sanetur, non est necesse quod ipse scientiam medicinæ habeat, sed sufficit quod aliquis alius habeat; & ipsa sanatio melius valet quam scientia medicinæ, quia finis ejus est. Ergo non est necessarium ad virtutem quod aliquis prudentiam habeat; & etiam ipsa est minus principialis inter alias virtutes.

3. Præterea. Secundum Philosophum in II. Metaph. text. iv. eorum quæ communicant in nomine, & diffinitione, illud cui per prius convenit nomen, est maximum in illo genere, & causa aliorum. Sed nomen virtutis secundum Boetium ad alias virtutes

à fortitudine derivatur: unde & Sap. viii. per virtutem fortitudo intelligitur. Ergo fortitudo est principalior inter omnes alias virtutes, & non prudentia.

4. Præterea. Illud propter quod intermititur aliud, est principalius eo. Sed propter iustitiam intermituntur omnes aliæ virtutes, ut probat Tullius in I. de officiis. Ergo ipsa est principalior, & non prudentia.

5. Præterea. Sicut oppositum in opposito, & propositum in proposito, ut docet Philosophus in II. Topic. cap. viii. Sed oppositum temperantiæ est maxime vituperabile, & turpe, ut dicit Philosophus in III. Ethic. cap. xxi. Ergo temperantia est maxime laudabilis, & non prudentia.

6. Præterea. Philosophus dicit in VI. Ethic. cap. xi. quod principia prudentiæ sunt in virtutibus moralibus. Sed principia sunt potiora his quæ sunt ex principis. Ergo aliæ virtutes morales sunt prudentia digniores.

Sed contra. In quolibet genere illud quod dirigit, nobilissimum est. Sed ad prudentiam pertinet dirigere in omnibus virtutibus moralibus, ut patet per diffinitionem virtutis in II. Ethic. cap. vii. positam. Ergo ipsa est nobilior aliis virtutibus.

Præterea. Habitus proportionantur potentiis in quibus sunt. Sed ratio, in qua est prudentia, est superior aliis viribus, in quibus sunt aliæ virtutes. Ergo prudentia est nobilior aliis virtutibus.

Præterea. Gregorius dicit I. Moral. cap. xv. Virtus (1) quo plus se posse conspicit, eo sine moderamine rationis deterius in præceptis ruit. Sed moderatio rationis ad prudentiam pertinet. Ergo sine prudentia aliæ virtutes quanto majores sunt, tanto magis nocent; & ita videtur quod prudentia sit potissima inter alias virtutes.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod prudentia inter alias virtutes cardinales principalior est, & ad ipsam reducuntur omnes aliæ quasi ad causam. Unde Antonius dicit in vitis Patrum Lib. IV. cap. xlii. quod discretio quæ ad prudentiam pertinet, est genitrix, & custos, & moderatrix virtutum. Et hoc sic patet. Virtus enim, ut dicit Tullius Rhet. Lib. III. movet in modum naturæ, scilicet per quamdam inclinationem affectus. Omnis autem naturæ inclinatio præexigit aliquam cognitionem quæ & finem præstituat, & in finem inclinet, & ea quibus ad finem pervenitur provideat: hæc enim sine cognitione fieri non possunt. Propter quod etiam à Philosophis dicitur, opus naturæ esse opus intelligentiæ: alias ea quæ natura fiunt, à casu acciderent. Et per hunc modum oportet quod per rationem, quam perficit prudentia, & rectam facit, præstituantur finis aliis virtutibus non solum communis, sed etiam proximi, qui est attingere medium in propria natura. Medium autem secundum rationem rectam determinatur, ut in II. Ethic. cap. vi. vel v. dicitur. Secundo per rationem rectam est inclinatio earum in finem proprium, quæ est intentio finis in virtutibus acquisitis, inquantum ex operibus ratione regulatis habitus virtutis prædictam inclinationem causans inducitur; & quantum ad hoc dicitur genitrix virtutum. Tertio per prudentiam rectificatur via unicuique virtuti, quæ tendit in finem, inquantum per

(1) Al. quæ, &amp; mor ea. (2) Al. maxima.

consilium, & electionem segregantur utilia à nocivis respectu finis virtutis: & quantum ad hoc mediatrix, & custos dicitur virtutum. Unde Gregorius II. Moralium cap. xxxi. vel xxv. dicit: Nisi virtutes reliquæ ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.

Ad primum igitur dicendum, quod est duplex scientia. Una in universali; & hæc quidem facit ad virtutem vel parum, si sit de operibus virtutis; vel nihil, si sit de aliis quæ ad virtutem non pertinent. Alia scientia est directiva in particulari operatione, quam corrumpit dilectio faciens ignorantiam electionis; & hæc scientia multum facit ad virtutem; immo sine hac non est virtus, nec hæc sine virtute: & hæc pertinet ad prudentiam: quia ut Philosophus dicit in VI. Ethic. cap. vi. existimationem prudentiæ corrumpit delectatio.

Ad secundum dicendum, quod sanitas corporalis non indiget arte medicinæ ad perficiendum opera sani hominis: & ideo sic ad sanitatem habendam non indiget homo ut ipse medicinam habeat. Sed actum virtuosum non potest homo facere nisi per prudentiam: quia quanto virtus est intensior, tanto est magis nociva, nisi adsit discretio prudentiæ, ut dicit Philosophus VI. Ethic. cap. xi. & patet ex auctoritate Gregorii inducta.

Ad tertium dicendum, quod virtus est nomen generis, sed virtus humana, vel virtus moralis, est nomen speciei. Quamvis ergo illud quod est virtus, inquantum est virtus, sit principalius in fortitudine propter difficultatem, tamen quod sit virtus moralis, vel humana, hoc habet à ratione, per quam homo est homo, & electionem habens suorum operum, ut dicitur in VI. Ethic. cap. 111. vel 11.

Ad quartum dicendum, quod hoc quod dicit Tullius, intelligendum est de iustitia legali, quæ attendit bonum commune: de qua etiam dicit Philosophus in V. Ethic. quod est lucidior aliis virtutibus, sicut lucifer aliis stellis. Hoc autem non dicitur per comparisonem virtutis ad virtutem, sed per comparisonem privati boni, quod attendit virtus simpliciter, ad commune bonum.

Ad quintum dicendum, quod in contrariis non semper est consequentia in ipso, sed quandoque consequentia est contrario: quod contingit præcipue in illis quæ sunt ordinata ad invicem secundum perfectum & magis perfectum: & ideo illud quod de perfectione majoris boni dimittit, est minus malum quam hoc quod etiam ipsum parvum bonum quod restat, tollit.

Ad sextum dicendum, quod sicut ratio speculativa procedit ad conclusionem ex principiis per se notis, ita ratio prudentiæ procedit ad electionem, & consilium de his quæ sunt ad finem, ex fine: & ideo dicuntur fines aliarum virtutum esse principia prudentiæ. Hi tamen fines præexistunt in ratione essentialiter: quia ad hoc tendit virtus moralis ut appetitus rationi concorder: unde his finibus (2) maxime prudentia quæ rationem perficit, est affinis.

## QUÆSTIO III.

Deinde quæritur de partibus virtutum cardinalium: & circa hoc quærentur quatuor. Primo. De partibus prudentiæ. Secundo. De partibus temperantiæ. Tertio. De partibus fortitudinis. Quarto. De partibus iustitiæ.



## ARTICULUS I.

An memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & providentia futurorum sint partes prudentiæ, sicut dicit Tullius.

2. 2. quæst. LXXIX. art. 1. 2. 6.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod partes prudentiæ à Tullio male assignentur. Dividit enim Lib. II. de invent. prudentiam in memoriam præteritorum, & intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum. Providentia enim secundum Philosophum in VI. Ethic. cap. VI. vel VIII. non se extendit ultra humana bona. Sed intelligentia est etiam divinatorum. Ergo non potest esse pars prudentiæ.

2. Præterea. Ad prudentem, ut dicitur in VI. Ethic. ubi sup. præcipue pertinet bene consiliari. Sed consilium non est de præteritis. Cum igitur memoria sit præteritorum, videtur quod memoria non sit pars prudentiæ.

3. Præterea. Providentia idem videtur quod prudentia. Ergo non debet ei assignari ut pars.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. A quibusdam assignantur partes prudentiæ *providentia*, *cautio*, *circumspectio*, *docilitas*: & videtur quod male. Quia ad quemlibet actum prudentiæ omnia oportet prædicta concurrere. Sed habitus distinguuntur per actus. Ergo non sunt virtutes distinctæ ab invicem.

2. Præterea. *Docilitas* est ex natura. Sed prudentia est virtus acquisita, vel infusa. Ergo non debet poni pars ejus.

3. Præterea. Cavere oppositum pertinet ad quamlibet virtutem. Ergo *cautio* non debet poni magis pars prudentiæ quam aliarum virtutum.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Philosophus in VI. Ethic. cap. VIII. & IX. adjungit prudentiæ tres, scilicet *eubuliam*, *synesim*, & *gnomen*: & videtur quod male. Quia ipse dicit in eodem Lib. quod prudens est totaliter consiliativus. Sed *eubulia*, ut ipse dicit, est bona consiliatio. Ergo *eubulia* idem est quod prudentia, & non pars ejus.

2. Præterea. *Synesis* est bona dijudicatio. Sed iudicium in operabilibus est ipsa electio. Cum igitur eligere recte sit prudentiæ proprium, videtur quod *synesis* sit idem quod prudentia.

3. Præterea. Damascenus in III. Lib. de Fide cap. XIV. dicit, quod *gnomen* idem est quod sententia. Sed sententia ad iudicium pertinet. Ergo videtur quod *synesis*, & *gnomen* non differant.

## QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. A quodam Philosopho Græco attribuantur prudentiæ partes decem, scilicet *eubulia*, *solertia*, *providentia*, *regnativa*, *militaris*, *politica*, *æconomica*, *dialectica*, *rhetorica*, *phytica*: & videtur quod male. Quia *phytica* scientia quædam est de necessariis, & de his non est prudentia, ut dicit

(1) Al. *cirocratia*.

Philosophus in VI. Ethic. cap. VI. Ergo *phytica* non est pars prudentiæ.

2. Præterea. *Dialectica*, & *Rhetorica* artes quædam sunt, & scientiæ. Sed prudentia dividitur contra scientiam, & artem in VI. Ethic. ubi sup. Ergo non sunt partes ejus.

3. Præterea. Philosophus dicit in VI. Ethic. ibid. quod *politica* est idem quod prudentia. Ergo non debet poni pars ejus.

4. Præterea. Multa alia exercitia sunt in civitatibus quam *militaris*. Ergo non debet magis ipsa poni pars prudentiæ quam alia civitatis officia, sicut est gubernatoria, negociativa, & hujusmodi.

5. Præterea. Urbanitates, ut dicit Philosophus in VIII. Ethic. cap. X. sunt tres, scilicet *regnum*, quando unus præsidet ad utilitatem populi, leges condens; *aristocratia*, quando plures principantur in diversis officiis propter virtutem: (1) *timocratia*, quando divites æqualiter præsent. In omnibus autem istis est aliquid prudentiæ. Ergo non magis debuit ponere *regnativam* quam alias duas.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod omne totum ad tria genera reducitur, scilicet universale, integrale, & potentiale: & similiter pars triplex invenitur dictis tribus respondens. Integralis enim pars intrat in constitutionem totius, sicut paries domus; universalis vero totius pars suscipit totius prædicationem, sicut homo animalis; potentialis vero pars neque prædicationem totius recipit, neque in constitutionem ipsius oportet quod veniat, sed aliquid de potentia totius participat, sicut patet in anima. Rationalis enim anima tota anima dicitur, eo quod in ipsa omnes animæ potentiæ congregantur. Sensibilis vero in brutis, & in plantis vegetabilis dicuntur partes animæ: quia aliquid de potentia animæ habent, sed non totum. Unde dicitur in Lib. de plantis I. cap. IV. quod non habent animam, sed partes animæ. Et secundum hunc modum tripliciter assignantur partes prudentiæ, & aliis virtutibus. Uno enim modo assignantur ei partes quasi integrales, cum scilicet partes virtutis alicujus ponuntur aliqua quæ exiguntur ad virtutem, in quibus perfectio virtutis consistit: & hæ partes, proprie loquendo, non nominant per se virtutes, sed conditiones unius virtutis integrantes ipsam. Alio modo per modum partium subjectivarum; & sic partes illæ nominant quidem virtutes, & ad invicem distinctas, sed non quidem à toto, cujus partes assignantur, quia illud de eis prædicatur. Tertio modo per modum totius potentialis, in quantum scilicet aliqua virtutes participant aliquid de modo qui principaliter, & perfecte invenitur in aliqua virtute: & hoc patebit per singula. Sic igitur dico, quod partes quas assignat Tullius prudentiæ, sunt partes integrales. Quia enim prudentia circa particularia operabilia est, in quibus universalis principia dirigunt propter eorum contingentiam, & varietatem; oportet, sicut dicitur de scientiis in Libro posteriorum, ex eodem genere principia accipere, ut ex similitudine aliorum factorum de his quæ facere oportet, recte ratiocinetur prudens; & ideo indiget experientia, & tempore, ut ex his quæ fuerunt, quæ memoria tenet, & ex his quæ intelligentia respicit, de futuris provideat. Memoria enim est secundum ipsum, per quam animus repetit illa quæ

(1) Al. *cirocratia*.

quæ fuerunt, intelligentia per quam prospicit ea quæ sunt, providentia per quam aliquid (2) futurum videtur antequam factum sit. Unde providentia est completiva, & formalis pars prudentiæ; aliæ vero quasi materiales ad ipsam reducuntur.

Ad primum igitur dicendum, quod intelligentia hic dicitur cognitio eorum quæ ad opus eligibile accomodata sunt. Et quia intelligentia est proprie universalium, quæ sub tempore non cadunt, & ita quodammodo præsentis formam retinent; ideo intelligentia dicitur præsentium non solum universalium, quibus indiget prudens ad recte ratiocinandum de agendis, sed etiam singularium quæ nunc sunt.

Ad secundum dicendum, quod memoria præteritorum indiget prudens non propter se, sed in ordine (3) ad præsentia eligibilia, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod prudentia est formalis pars, & completiva providentiæ: & ideo etiam quodammodo prudentia illa complectitur ex quibus ratio procedit in provisionem futurorum.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem de partibus aliis assignatis à quibusdam dicendum, quod etiam illæ sunt sicut partes integrales: requiruntur enim ad prudentiam, secundum quod de futuris conjectat ex parte præteritorum, & præsentium, ex quibus procedit. Oportet enim prudentem viam accomodam ad finem intentum invenire; quod (4) per providentiam facit, quæ est præsens notio futurum petraçtans eventum: & iterum prohibentia remove. Contingit autem providentiam tripliciter impediri. Uno modo ex parte ipsius viæ invenientiæ, quæ quandoque videtur bona, & non est; & hoc impedimentum *cautio* aufert, cujus est ex virtutibus vitia virtutum speciem præferentia discernere. Alio modo ex ordine ipsius in finem, ne scilicet via quæ de se apta est ad finem, aliquo extrinseco impediatur ne in finem ducere possit; & hoc ad *circumspectionem* pertinet, quæ est cautela vitiorum contrariorum, quibus præcipue prudentia impeditur. Tertio modo ex parte ipsius hominis tendentis in finem, qui vias accomodas ad finem intentum invenire non potest; unde oportet quod per doctrinam ab aliis accipiat. Quia oportet principia operabilia vel à se habere prudentem, vel ab alio faciliter accipere. Qui autem neutrum habet, hic inutilis est vir, ut dicitur in I. Ethic. cap. II. vel IV. & sic est *docilitas* passive dicta. Si autem *docilitas* accipiat active, tunc pertinebit ad prudentiam secundum suum perfectissimum esse, prout scilicet non solum sibi, sed etiam aliis quæ sunt utilia ad finem invenit; & sic dicitur prudentia erudiendi imperitos.

Ad primum igitur dicendum, quod non est contra rationem partium quasi integralium virtutis quod omnes concurrant ad actum unum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis docilitas habeat principium in naturali dispositione, tamen complementum habet per gratiam, vel per consuetudinem, ut dicit Philosophus I. Ethic. cap. III. quod oportet consuetudinibus duci de civilibus: quia talis principia operabilium habet, vel suscipere potest faciliter.

Ad tertium dicendum, quod quia prudentia regit In III. Sent. Tom. III. (2) Al. facere. (3) Al. ad priora eligibilia. (4) Al. epieicus.

lat omnes alias virtutes, ideo omnes participant aliquid prudentiæ: sicut irascibilis, & concupiscibilis participant aliquantulum rationem. Unde illud quod ad alias virtutes pertinet participative, cautio scilicet, ad prudentiam pertinet essentialiter.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem de partibus quas ponit Philosophus in VI. Ethic. cap. X. vel VIII. sciendum est, quod sunt partes quasi potenciales, eo quod sunt virtutes & ab invicem, & à prudentia distinctæ, sicut ipse vult. Ad rationem enim pertinet præcipere quod faciendum est, quia aliæ vires obediunt aliquantulum rationi. Ratio autem non præcipit, nisi prius in se perfecta sit quantum ad id quod est sui ipsius, sicut nec aliqua res movet ante sui perfectionem. Perfectio autem rationis practicæ, sicut & speculativæ, consistit in duobus, scilicet in inveniendi, & judicando de inventis. Inveniendi autem in agendis consilium est: & ideo oportet haberi virtutem per quam ratio consiliatur; & hæc est *eubulia*, quæ secundum Philosophum in VI. Ethic. ubi sup. est rectitudo consilii, quæ bonum inquirunt convenientibus mediis secundum debitum tempus, & alias circumstantias: & oportet haberi virtutem qua bene judicet de consiliatis; & hæc est *synesis*, & *gnomen*; quæ qualiter differant, dicitur: & oportet haberi virtutem, qua bene præcipiat; & hæc est *prudentia*, quæ, ut Philosophus ibidem dicit, præceptiva est. Sed quia in operabilibus cognitio ordinatur ad opus, ideo & consilium, & iudicium de consiliatis ad præceptum de opere reducitur sicut ad finem; & propter hoc prudentia est usualis, & principalis respectu aliarum, & aliæ participant modum ipsius, sicut supra dictum est.

Ad primum igitur dicendum, quod & consilium, & iudicium pertinent ad prudentem, non sicut principales actus ejus, sed sicut ea quibus utitur ad suum actum.

Ad secundum dicendum, quod iudicium consistit adhuc in cognitivis terminis; sed electio est applicatio cognitionis ad opus: unde iudicium præcedit electionem.

Ad tertium dicendum, quod ad *synesim* pertinet recte iudicare in illis ad quæ se extendunt legis præcepta communiter: unde *synesis* est habitus iudicativus agibilium: sed ad *gnomen* pertinet rectum iudicium de illis in quibus lex deficit, quæ specialem habent difficultatem, in quibus (5) *epieicia* dirigit, ut dicitur VI. Ethic. unde *gnomen* secundum Philosophum est rectum iudicium (6) *epieicos*.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem de partibus decem quas assignat Philosophus Græcus, dicendum est, quod non sunt partes unius rationis: unde divisio est minus artificialis. Sciendum enim est, quod prudentia potest dupliciter considerari. Uno modo secundum esse absolutum; alio modo secundum perfectum esse ipsius. Salvatur autem ratio prudentiæ in his quæ ad ipsum prudentem pertinent, sed completum esse ejus, secundum quod etiam ad alios se extendit. Primo ergo modo considerando prudentiam, sic *providentia* est pars ejus quasi integralis formalis, ut

per prudentiam. (5) Nicolai epieicia. (6) Idem



dictum est; quæ secundum ipsum est *habitus* (7) *viam facere potens ad majus*, idest melius, ut fiat sicut oportet: unde ipsa ponitur loco omnium aliarum partium ejusdem rationis. *Eubulia* autem est pars ejus quasi potentialis; quæ secundum ipsum est *scientia conferentium*, idest utilium ad finem, de quibus est consilium: & quia ipsa est prima, ideo ponitur loco aliarum quæ consequuntur, & sunt unius rationis. *Solertia* autem eodem modo redicitur ad prudentiam, sicut *eubulia*; sed in hoc differunt, quia *eubulia* invenit medium conveniens ad opus ratiocinando, & inquirendo, quia consilium quæstio est, ut dicitur in III. Ethic. cap. VIII. vel v. sed *solertia* invenit quasi subito: est enim *habitus ex repentino* inveniens quod convenit, vel ut in I. Posteriorum cap. ult. dicitur, *subtilitas quedam in non prospecto tempore medii*; non tamen ponitur virtus in VI. Ethic. sicut *eubulia*: tum quia *eubulia* se habet ad bonum tantum, *solertia* autem ad bonum, & ad malum: tum quia *solertia* magis dependet ex naturali ingenio quam ex assuetudine. Sciendum etiam, quod *solertia* est inventio medii sine prospecto tempore, tam in operativis quam in speculativis, tam in necessariis quam in contingentibus; sed *eustochia* est tantum in operativis, quæ est bona (8) conjectatio de contingentibus. Si autem consideretur prudentia secundum quod ad alios se extendit, sic non assignantur ei integrales aliæ quam etiam prudentiæ absolute consideratæ; subjectivæ autem, & potentiales aliæ. Potest enim aliquis coordinari alii dupliciter. Uno modo ad aliquem actum specialem, sicut scholares in his quæ ad studium spectant, milites in his quæ ad pugnandum: unde talis adunatio (9) non remanet, sed quamdiu actus talis exercetur respectu talis coordinationis ad alterum: (10) & sic ordinat *militaris*, quæ est habitus speculativus, & practicus exercitui conferentium. Alio modo coordinatio aliquis alicui in vita simpliciter: unde talis coordinatio nata est semper manere, nisi per accidens dissolvatur. Hæc autem vel est respectu eorum qui sunt in domo una: & sic est *œconomica*, quæ est habitus speculativus, idest considerativus, & practicus, idest activus, domui conferentium: vel est respectu eorum qui sunt in eadem civitate, & sic est *politica*, quæ est habitus speculativus, & practicus civitati conferentium. Unde hæc sunt partes subjectivæ prudentiæ. Sed quia in qualibet multitudine est duplex ordo, ut in XII. Metaph. text. LII. dicitur: unus quo ordinatur tota multitudo ad finem communem; alius quo singulariter partes multitudinis ordinantur ad invicem secundum fines proprios: ideo *politica* habet duas partes, unam quæ Regi civitatis competit, cujus est bonum commune totius multitudinis conjectare, & hæc dicitur *regnativa*, quæ est *experientia ejus quod est gubernare multitudinem innocue*; vel *legis positiva*, ut in VI. Ethic. cap. VIII. vel VIII. dicitur. Alia est quæ competit cuilibet de civitate, secundum quod ad bonum commune ordinatur: & hæc *politica* dicitur, nomen commune retinens. Et ideo dicit Philosophus in VI. Ethic. ubi sup. quod *legis positiva est architectonica*; quia fines proximi ordinantur ad finem communem. Et similiter potest dividi *militaris* in *ductivam*; quæ competit duci exercitus, & *militarem simpliciter*: & similiter *œconomica* in paternam, quæ competit patrifamilias; & *œconomicam simpliciter*. Partes autem prudentiæ sic acceptæ potentiales, sunt

(7) Al. vitam. (8) Al. continuatio. (9) Forte non semper manet. (10) Al. deest & sic.

omnes artes, & disciplinæ: quia politica de omnibus ordinata à quibus, & quantum sunt addiscendæ, vel exercendæ, ut dicitur in I. Ethic. cap. II. vel I. Et ideo *physica*, quæ est de operibus quæ non sunt à nobis, quia est scientia eorum quæ circa naturam sunt; & *dialectica*, quæ est ex operibus quæ sunt à nobis ordinatis ad sciendum, cum sit scientia bene disputandi; & *rhetorica*, quæ est de his quæ sunt à nobis ordinatis ad orandum, cum sit scientia bene dicendi ad persuadendum, dicuntur partes prudentiæ, ut dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod *physica* ponitur pars prudentiæ, in quantum de ipsa ordinat, & præcipit prudentia, ut dictum est; non autem ita quod sit pars ejus subjectiva, vel integralis.

Similiter autem est dicendum ad secundum de *dialectica*, & *rhetorica*.

Ad tertium dicendum, quod *politica* est prudentia quædam, qua homo dirigitur in his quæ ad alium spectant: unde nominat prudentiam completam. Et quia non omnis prudentia habet istam completionem, ideo ponitur pars ejus. Tamen in eo in quo completum habet esse, prudentia non differt secundum substantiam habitus *prudentiæ*, & *politice*, sed ratione tantum.

Ad quartum dicendum, quod militare exercitium maxime pertinet ad conservationem communitatis; & ideo *militaris* potius ponitur quam aliæ, ut negotialis, & hujusmodi per eam enim intelliguntur; sicut etiam per artes liberales, quas tangit, dicuntur intelligi mechanicæ, quæ simili modo sunt partes prudentiæ.

Ad quintum dicendum, quod regnum inter alia regimina dignius est, ut Philosophus in VIII. Ethic. dicit: & ideo potius regnum quam alia posuit.

## ARTICULUS II.

*Utrum continentia, clementia, & modestia sint partes temperantiæ, sicut dicit Tullius.*

### 2. 2. quæst. cxxviii. art. 1.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod partes temperantiæ male assignentur à Tullio in prima Rhetorica, seu de invent. Lib. II. Dicit enim, quod partes temperantiæ sunt *continentia*, *clementia*, & *modestia*: & videtur quod male. Quia continentia, ut dicit Philosophus in VII. Ethic. cap. I. dividitur contra virtutem universalem. Ergo non debet poni pars alicujus virtutis.

2. Præterea. *Clementia*, ut dicit Tullius loc. cit. est *virtus per quam animus concitatus in odium alicujus, benignitate retinetur*. Hoc autem videtur ad mansuetudinem pertinere: mansuetudo autem non est pars temperantiæ, cum sit in irascibili; temperantiæ autem in concupiscibili. Ergo videtur quod *nec clementia* debeat poni pars temperantiæ.

3. Præterea. *Modestia* à modo observando dicitur. Sed hoc est necessarium in qualibet virtute. Ergo modestia non est pars alicujus virtutis, sed consequitur omnem virtutem.

4. Præterea. Tullius dicit loc. cit. quod *modestia* est pudor honestatis, puram, & stabilem comparans auctoritatem. Pudor autem videtur esse idem quod verecundia. Cum ergo verecundia non sit virtus, sed passio, ut dicit Philosophus in IV. Ethic. cap. XVII.

videtur quod modestia non debeat poni pars virtutis.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. A quibusdam ponuntur partes temperantiæ *sobrietas*, & *castitas*: & potest haberi ex III. Ethic. cap. XII. & videtur quod (1) insufficienter. Quia sobrietas est circa delectationes gustus, castitas autem circa delectationes tactus. Cum igitur etiam alii sensus habeant suas delectationes, videtur etiam quod circa eas debeant assignari aliquæ virtutes.

2. Præterea. Contingit peccare non solum in delectationibus sensuum exteriorum, sed etiam in delectationibus sensuum interiorum, & etiam intellectus, sicut patet de curiositate. Similiter etiam in delectationibus, & concupiscentiis exteriorum rerum, ut honoris, pecunie, & hujusmodi, quæ secundum se videntur eligibilia, contingit esse peccatum per superabundantiam, ut dicitur in VII. Ethic. cap. ult. Sed virtus, & vitium sunt circa idem. Ergo & circa illas delectationes debet aliqua virtus poni.

3. Præterea. Virtus est circa difficile, & bonum. Sed magis sunt difficilia ad quæ non omnes tenentur, sicut virginitas, & abstinentia etiam ciborum necessariorum, quam sobrietas, & castitas. Ergo magis debent poni partes virtutis.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Quidam Philosophus Græcus (Andronicus) ponit septem partes temperantiæ, scilicet *austeritatem*, *continentiam*, *humilitatem*, *simplicitatem*, *ornatum*, *bonam orationem*, *per se sufficientiam*: & videtur quod male. Austeritas enim, ut ipse dicit, est habitus secundum quem aliqui neque afferunt aliis delectationes colloquutionum, neque ab aliis recipiunt. Hoc autem videtur esse vitiosum, & contrarium amicitiae, quæ maxime colloquutionibus amicorum gaudet. Ergo austeritas non debet poni pars virtutis.

2. Præterea. Humilitas superbiæ opponitur. Sed superbiæ Philosophus ponit inter vitia quæ opponuntur fortitudini, ut patet in III. Ethic. cap. x. vel xv. Ergo humilitas non est adjuncta temperantiæ, sed fortitudini.

3. Præterea. Ipse dicit, quod humilitas est habitus non superabundans in sumptibus, & preparationibus. Sed quicumque non superabundat, est contentus illis quibus oportet. Ergo cum ipse dicat, quod hoc pertinet ad per se sufficientiam, videtur quod idem sit humilitas quod per se sufficientia.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, ad primam quæstionem, quod illæ partes quas Tullius ponit, partes potentiales sunt, in quantum participant modum temperantiæ. Sicut enim in scientiis modum oportet secundum materiam inquirere, ut dicitur in I. Ethic. cap. II. ita & in virtutibus. Materia autem virtutum moralium actiones, & passionis humane sunt. In passionibus autem quædam sunt in quibus passionem inferens de sui ratione natum est in prosecutionem movere, sicut delectabile quod concupiscibili passionem infert; & in his difficile est retrahi à prosecutione, & facile est prosequi. Unde temperantia, quæ

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. sufficienter. (2) In editis reducitur.

circa principalia delectabilia est, modum habet in retrahendo; & propter hoc temperantia plus assimilatur in sensibili, qui superabundat in fuga, quam in temperato qui superabundat in prosecutione rationum delectabilium. In passionibus autem in quibus passionem inferentia nata sunt ad fugam movere, sicut sunt timores, & audacia, difficile est prosequi, vel sustinere, facile autem fugere: unde modus fortitudinis, quæ circa timores, & audacias maximorum reprobilium est, modus est in aggrediendo: & ideo fortis magis similatur audaci qui superabundat in aggrediendo, quam timido qui superabundat in fugiendo. In actionibus autem non consideratur inclinatio affectus magis ad unum quam ad aliud nisi per accidens, in quantum convincitur passionibus. Et ideo justitiæ, quæ circa actiones est, modus est æqualitas, sicut fortitudinis superextensio, & temperantiæ refræctio, & diminutio. Omnes igitur virtutes in quibus difficultas consistit in refræctando prosecutionem, conveniant in modo cum temperantia: hoc autem contingit in omnibus in quibus est inclinatio ad prosequendum. Hæc autem inclinatio duplex est. Una qua affectus inclinatur per passionem; alia qua ex passionibus ipsius est inclinatio ad exteriores gestus, quæ sunt signa interioris passionis. Affectus autem inclinatur ad prosequendum vel bonum proprium; & hanc inclinationem refræctat *continentia*, quæ, ut dicit Tullius loc. cit. est *per quam cupiditas consilii gubernatione regitur*: vel malum alienum, in quantum est contrarium bono proprio; & hanc inclinationem refræctat *clementia*, quæ, ut dicit Tullius ibid. est *virtus per quam animus in odium alicujus concitatus, benignitate retinetur*. Inclinatio autem quæ ad exteriores gestus est, quibus interior affectus ostenditur, refræctat *modestia*, ut nihil eis immoderatum sit; quæ est virtus per quam pudor honestatis puram, & stabilem comparat auctoritatem. Sed quia difficillimum est refræctare à delectationibus tactus, ideo iste modus in temperantia (quæ est circa hujusmodi delectationes) consistit principaliter, & quasi integraliter, in aliis autem participative.

Ad primum ergo dicendum, quod continentia tripliciter dicitur. Uno modo secundum quod aliquis habet rationem rectam, quæ à passionibus excellentibus nondum edomitis refræctat; & est circa eadem ac temperantia, ut in VII. Ethic. cap. ix. vel xi. dicitur: sic enim Philosophus continentiam accipit: & differt à temperantia in hoc quod temperatus hujusmodi passiones non patitur: & secundum hoc continentia non est virtus, quia operatur quod bonum est, non delectabiliter, & faciliter, quod requiritur ad virtutem; & ita reducitur ad temperantiam sicut imperfectum ad perfectum, & ut pars potentialis. Alio modo dicitur continentia secundum quam homo se refræctat non solum ab illicitis delectationibus, sed etiam à licitis; & sic dicit quendam perfectum statum temperantiæ, sicut, & virginitas: unde reducitur ad temperantiam per modum partis subjectivæ. Tertio modo dicitur continentia per quam (2) retinetur animus à quibuslibet concupiscentiis: & hanc acceptionem ponit etiam Philosophus in VII. Ethic. ubi supra, & sic videtur eam accipere Tullius, ut patet per definitionem positam. Unde sic ponitur pars temperantiæ, in quantum participant modum temperantiæ, etiam circa alienum.

Ad secundum dicendum, quod clementia non

Bbb 2

est